



23. DISSERTATIO INAUGVRALIS, *P. 18. num. 28.*

DE
I N D O L E
CONTRACTVS, LOCATIONI
CONDVCTIONI ADIECTI ASSECVRATIONIS;

VVLGO SIC DICTI:
(Vom Vorschuss der Pächter,)
EIVSQVE PECVNIAE IN, CONCVRSV CREDITORVM
IVRE ATQVE FAVORE

18

1757/2.

QVAM,
SVMMO VNIVERSI HVIVS MODERATORE
BENIGNE ADIVVANTE,

AC
MAGNIFICO IVRECONSVLTORVM ORDINE,
IN ILLVSTRI AD VARNVM ACADEMIA CONSENTIENTE,
SVB PRAESIDIO,

VIRI CONSVLTISSIMI,
DN. HERMANNI *Becker,*

I. V. DOCTORIS AC PROFESSORIS INST. P. O. CELEBERRIMI,
STVDIORVM SVORVM PROMOTORIS, FAVTORIS ATQVE
BENEFACTORIS IN AETERNVM COLENDI,

PRO GRADV,
TITVLIS ATQVE IVRIBVS IVRECONSVLTI
RITE CAPESSENDIS,

DIE XXIV NOVEMBRIS, ANNO MDCCLVII,

H. L. Q. C.
PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISIONI SVBMITTIT,
A V C T O R

CHRISTIANVS LVDOVICVS IOANNES BEHM,

NEOSTADIO - MEGAPOLITANVS,
I. V. C.

ROSTOCHII,
LITTERIS ADLERIANIS






PRAEMONENDA.

Annus est et quod excurrit, cum amicus et familiaris quidam, quem propter eruditionem ipsius aequae solidam ac cordis integritatem, omni honoris ac amoris cultu prae ceteris aestimo digniorem, quidquam in literis mecum communicarer de pecunia affe-
curationis, ulteriori meditationi haud deformem. Nimis tunc temporis fluctuabam intra Scyllam et Charybdim, quam ut aures darem momenti, nil nisi sonus manebat. Summi tandem providentia votis annuente, paullatim hic sonus in cogitationis transibat, donec tandem illi vitam dare ac vires, me instimulabat Vir, fautor, benefactor ac Praefes Consultissimus Eruditissimus Honoratissimus. Scribenda mihi erat dissertatio inauguralis: operi ergo adolvebam manus, viribus licet diffusus. Legebam, relegbam, volvebam et revolvebam hinc et illinc autores in materia contractus locationis conductionis insignes, sed in materia ejusdem contractus adjecti affe-
curationis spissas undique deprehendebam tenebras. Lucem deinde mihi paullatim aliqualem accenderunt acta quaedam judicialia a Gravissimo Domino praeside mecum communicata, atque Dissertat. Jurisconsulti Gryphiswaldensis Clarissimi *Aug. Balthasaris de pecunia Affe-
curationis in loc. cond. praediorum soluta, ejusque in concursu creditorum jure.* Gryphisw. anno 1739. habita: sed in naturam istiusmodi contractus in-
quire

quirere. Jura et obligationes distinctius exponere, ejusdemque singularia evolvere, opus manserat quidem inchoatum sed minime consummatum sufficienter et perfectum. Nihilo tamen minus quaestiones maxime practicas discusserat principiis satis nondum stabilitis. Quodlibet aedificium corrui fundamento destitutum, et quid de ipsius decisionibus passim substratis judicandum, lectori, praesudicium nondum correpto, reliquere velim. Propriis ergo subicere materiam meditationibus meum fuit officium. Hinc jura et obligationes tam Assurantis quam assurati mihi fuit aequa lance pendendum: quibus suppositis, facili negotio ea Jura eaeque obligationes, quae intuitu tertii suos exerunt effectus, perspicui possunt. Tertius autem est vel assurantis vel assurati successor vel universalis vel singularis, inter successores universales, reliquis superhabitis, refero creditores in concursu conjunctim pro una persona sumptos, inde nova iterum oritur distinctio, nam durante contractu locationis, conductionis, ejusque contractus adjecti, concursus existit super bonis vel locatoris, vel conductoris; et tunc in utroque casu inquirendum quid Juris et quid obligationis sit statuendum circa assurantem et assuratum eorumque creditores erga se invicem. Praeter expositionem indolis ejusdem contractus, unicum tantum attigilatus, et considerare annisum sum relationem quae deprehenditur inter creditores locatoris ut assurati ab una, et assurantem conductorem ab altera parte, quid qualeque in eo praestiterim, judicet quisque. Specimen est, et pro specimine istud disjungere volo. Ex subjunctis supra distinctionibus et subdistinctionibus, mons exurgit materiarum Herculeus, quem superare pagellae non sufficiunt, satis praesertim subsidiis nondum instructus, tempori inserviam, et si superis placet, anno insequenti ulteriorem atque uberiolem hujus materiae a me expectare habebit tractationem Lector benevolus, cujus favori me de optima nota commendo. Dabam e Museo die XVII. Novembris MDCCLVII.



SECTIO I.



SECTIO I.

GENERALIA DE NATVRA CONTRACTVS LOCATIONIS
CONDVCTIONIS, ET SPECIATIM DE INDOLE AC ORIGINE
CONTRACTVS ASSECVRATIONIS.

Varias dari contractuum in Iure species, quae secundum
mentem Romanorum *consensualem* nomine veniunt,
neminem eodem Iure imbutum fugere non nequit *Tit. 1. de
oblig. ex cons. et §. 3. D. de Loc. Cond.*

§. 1.

Contractus consensuales suam secundum naturam sunt
pacta eaque legitima et civiliter atque naturaliter obligatoria
simulac consensus contrahentium efficax iisdem accessit. *L. 2.
et 6. ff. de pact.*

§. 2.

In omni contractu deprehenduntur praedicata, quae vel
salva ejus essentia nec mutari nec ab eo abesse possunt, quae
dicuntur *essentialia*, et secundum ICorum vernaculam *substan-
tialia*, vel ex iis fluere s. iisdem semper inhaerere videntur, quae
appellantur *naturalia*, vel denique salva substantia adesse et ab-
esse possunt, et per speciale pactum s. contractum expresse ad-
jici debent, quae audiunt *accidentalialia*, *vid. Corv. Log. §. 1 et seqq.
et Struv. syntagm. jurispr. exercit VI. Lib. 2. Tit. 14. §. 23 seqq.*

A 2

§. 4.



§. 4.

Essentialia sunt immutabilia, naturalia vero et accidentalia mutabilia, (*p. princ. metaph.*) hinc naturalia et accidentalia, naturae essentialium nihil derogare possunt. (*Baumg. Metaph. §. 134.*)

§. 5.

Inter contractus consensuales, contractus *Locationis Conductionis* secundum sibi vindicat locum, qui est talis: per quem se aliquis obligat ad usum ejus quod ad *res* suum pertinet, alteri pro determinata pecuniae summa concedendum *Darjes in Inst. Jurispr. priv. §. 311 et princ. Inst. ac L. 1 et 2. pr. ff. loc. Cond.*

COROLL. I.

Qui usum concedit *Locator*, et cui conceditur *Conductor* appellatur.

COROLL. II.

Pecuniae certa summa, quae pro usu solvitur, pro ratione objecti locati varias excipit denominationes.

COROLL. III.

Tam locator quam conductor certis utuntur juribus et obligationibus Ill, *Darjes c. 1. §. 312, 313, 314, et 315.*

§. 6.

Hoc *res* suum pro objecto habet vel facta vel res, hinc loc. cond. datur vel *operarum* vel *rerum*.

SCHOL.

Pecunia in loc. cond. *operarum* soluta *mercedis* in specie nomine insignitur, germanice *der Lohn, der Verdienst*.

§. 7.

Res, quae loc. cond. objecta esse possunt, per plures admittunt in iure distinctiones et subdistinctiones *vid. Tot. Tit. Inst. et Dig. de ver. div. et acquir. ear. dom.* Inter quas nobis ardet illa; quae in *corporales* et *incorporales*, et priores iterum in *mobiles* et *immobiles* distinguere solent.

SCHOL.

Haud poscit instituti ratio, ut omnium earum suppeditemus definitiones *pl. v. Ill. Nettelbladt Syst. elem. Jurispr. post. Tom. 1. §. 153 et 157 et Heinzecc. Elem. Jur. Civ. Lib. II. Tit. 1 et II.*

§. 8.

§. 8.

Res immobiles possideri possunt ob fructus certos, quos praestant, quae sunt praedia, si ad agriculturam spectant, rustica, si vero inhabitationis gratia tantum constituta urbana audiunt, Nettelbl. c. 1. §. 157

SCHOL.

Pecunia quae solvitur pro usu praediorum urbanorum dicitur, locarium die Miethe die Hausmiethe, quae vero pro usu praediorum rusticorum pensitari solet, nominamus in specie pensionem, die Pacht die Pension, inde Conductores horum praediorum appellantur pensionarii die Pensionairs die Pächter.

§. 9.

Tam praedia urbana quam rustica possunt conductionis locationis existere objecta (§. 8 et 6.)

§. 10.

Praeter essentialia Contractus Loc. Cond. iisdem saepe quaedam adduntur accidentalia (§. 3.) quae iterum speciale contractus sibi vindicant nomen adeoque sub pactorum s. contractuum adjectorum nomine veniunt. Darjes Inst. Jurisp. priv. S. 302.

§. 11.

Pactum s. Contractus de indemnizando Locatore est Contractus adjectus. (§. 7. et 9.)

§. 12.

Omnes Contractus, tam in se tales, quam adjecti efficaces, obligationem inducunt perfectam tam civilem quam naturalem (§. 2. 3. et 9.) Darjes Inst. Jur. Nat. S. 415. et 419. coll. L. 1. 2. 3. ff. de pactis

SCHOL. I.

Hodie Iur. Germ. principia in hac materia per universam Germaniam conservata sunt, ut ex omni conventionione deliberata et certa, efficax obligatio et actio detur, immo quoad effectum obligandi nullum inter pacta vestita et nuda superesse videtur discrimen ait Illustr. Böhrmer in Dig. Lib. 11. Tit. XIX. §. 25. conf. Stryck: Vj. Mod. h. t. §. 1. seqq. id. in diss. de prob. vers. cred. S. 3. 4.

SCHOL. II.



SCHOL. II.

Facem haec, nulla ex ratione praefert doctrina rabulisticae arti, nec fraudi malignae, multo minus rebus suis alteriusve male consulentibus, frustra enim LL. invocat qui contra LL. peccat. vid. *Carmon in diss. sub rubr. Frustra LL. invocat qui contra eas committit.* Pacta igitur in fraudem contrahentis aut tertii nullum in LL. nec naturalibus nec civilibus deprehendunt, patrocinium immo in totum reprobata. Vid. *L. 6. §. 8. ff. quae in fraud. Credit. et ll. Nettelbl. in diss. de act. Paul.*

§. 13.

Ponamus Contractum Loc. Cond. vere talem, (§. 4.) et huic alter accederet, in quo Conductor promitteret, certam se pecuniae summam sive sortem, ante vel juxta traditionem praedii soluturum locatori, ex qua hic, in casum, quo Conductor praedium culpa sua aut dolo redderet deterius, aut pensionem, in contractu stipulatam, nec in debita quantitate, nec qualitate, nec certo loco, neque tempore solveret, ipso Iure se faceret indemnem, tunc ejusmodi contractus esset adjectus, (§. 9. 10 et 11.)

SCHOL.

Ipso Iure dicitur fieri; quidquid fit, nullo accedente facto ideo suscepto, ut, quod fit, fiat. *Nettelbl. El. Iur. pos. Tom. 1. §. 259 Stryck in diss. de eo quod fit ipso Iure.*

§. 14.

Omnis indemnitis praestatio supponit damnum ab altero vere illatum, (Axioma)

COROLL.

Qui ergo se vult indemnifari, damnum vere sibi ante illatum liquide probare debet. *L. 1. §. 1. Cod. de Compens.*

§. 15.

Omnis Contractus adeoque adjectus sua habet iterum essentialia, naturalia atque accidentalia (§. 3. et 9.) hinc in Contractu de indemnifando locatore, ea quoque obvenire possunt.

§. 16.

Advertamus nunc oculos ad ipsa Contractus Loc. Cond. exemplaria; quae istiusmodi contractus habent adjectos, facilis erit

erit distinctio forma ida inter posterioris generis essentialia, naturalia et accidentalia, ope ergo abstractionis inde formare quoque licebit definitio: Proinde *Contractus loc. Cond. adjectus, vi cuius conductor certam sortem solvit, ex qua, in casum, quò praedium locatum sua culpa aut dolo deteriorat, aut pensionam nec ea quantitate, qualitate, loco nec tempore debito solvit, locator ipso iure se reddit indemnem, est Contractus Assecurationis der Vorschuß = Contract.*

COROLL. I.

Ille, qui indemnitate solvendo sortem praestat: *assecurans* cui praestatur indemnitas, *assecuratus*, et fors quae solvitur, *pecunia assecurationis der Vorschuß*, audiunt.

COROLL. II.

Ratio ergo primaria illius contractus est indemnitate praestatio. Cessante autem illa; cessat rationatum: hinc locatoris Ius in ipsa sortis quantitate incipit eo tantum momento fieri efficax, quo damnum sibi a conductore aut culpa aut dolo illatum, et expirat sublato contractu, vel in tantum, vel in totum eatenus, quatenus detrimentum passus est locator durante contractu vel non. (S. 14. ejusq. Coroll.)

COROLL. III.

Sortis ejus tamdiu Conductor manet dominus, non quoad speciem solutam, sed quoad genus, sive sortis quantitatem, et Ius illius tempore Contractus quiescere quasi videtur.

COROLL. IV.

Quatenus ergo Assecuratus sortis solutione quoad speciem est dominus factus, eatenus casum, in specie soluta existentem suscipere debet *Mev. part I. Dec. 196 n. 5 6.*

SCHOL. I.

Coincidit noster de Contractu Assec. ejusque sorte conceptus illi, ab *Ill. de Balthasar in diss. de pecunia assec. I. §. 2. suppeditato* aliquali tamen cum limitatione.

SCHOL. II.

Nihil hic nobis remanet negotii cum illo sic dicto ejusdem nominis mercatorum et naulerorum Contractu, licet forsitan de-

B

nomi-



nominationis inde petatur ratio. Adeat, qui velit de hoc sciscitari quidquam uberius Juris maritimi Celeberrimos; *Grotium*, in *Inleiding tot de Hollandsche Gelebrtheit*, *Marquardum et Loccenium* in *Tract. de Jure Maritimo*, *Grollmann de Affecuratione*, *Bobmer. in diss. de discrimine tempest. marin.* *Wolpmann in diss. de eo quod justum est circa Contract. nov. introd. Cap. VI atque praeter caeteros in hac materia illustres Stryck in Tract. de Caut. Cont. Sect. III. Cap. 5. §. 27. seqq.*

§. 17.

Ponamus, in hunc contractum Affecurationis adjectum ingredi determinationes, vi quarum, locator se obligat, finito contractu integram sortem conductori vel in specie, vel in genere restitutum, hic omni ex parte promissis steterit, aut conductori libertatem concedit, ut eam a pensione ultimi anni deducat et quasi cum ea compenset, aut pro usu fortis hic ab annua pensione usuras detrahat consuetas, vel conductor usum ejus gratis concedat locatori, aut ita sit stipulatio, ut locator plus vel minus, vel non plus nec minus, quam annua pensio facit, sibi exsolvendum curet, vel sibi de hypotheca prospexerit intuitu fortis vel non; vel denique fors exsoluta pro pensione unius anni praenumerata consideretur et q. plur. tunc illae determinationes non ad essentialia ejusdem contractus adjecti, sed potius ad accidentalia, saltem naturalia possunt referri, adeoque definitionem contractus affecurationis ingredi non possunt (§. 3. 4. 13. 15. 16.)

§. 18.

Contractus affecurationis qua talis, neque contra legem prohibivam impingit, neque unum contrahentium laedit, neque jus tertii rodit; hinc inducit jus perfectum adeoque obligationem perfectam. (§. 12. *Schol. 1. 2. et §. 16.*)

COROLL. I.

Qui ergo laesum se isto pacto praetendit, utique assertum suum probare tenetur *d. 1. 2. C. 6. qu. 5. L. 23. Cod. de probat. Alleganti quaestionem dubiam facti, iudex probationem injungere debet,*



bet, tum, quia in ea se fundat, fundamentum autem assertiones a quolibet asserente probandum, tum etiam, quia ei absque probatione fidem habere non debet: sunt verba Jll. Bohmeri in *I. E. P. Lib. 2, Tit. XIX. § 5.*

COROLL. II.

Quae probatio iusto tamen tempore et loco atque in legibus praescripto ordine rite institui debet *Tot. Tit. ff. de probat. et L. 2. Cod. de rescind. vendit.*

SCHOL.

Et beneficium *L. 2. Cod. de rescind. in omnibus aliis negotiis et contractibus onerosis ideoque et locatione sine discrimine locum habet. Berger Occ. Iur. pag. 674 Stryck de caut. contr. Sect. 2. c. 9. § 4. Wernb. sel. obs. for. p. 1. observat. 302.*

§. 19.

Contractus locationis conductionis per se talis, est principale intuitu, contractus assecurationis, et hic intuitu illius accessorium (p. def. §. 5 et 16.) hinc posita prioris obligatione perfecta, ponitur etiam posterioris, et cessante prioris obligatione, posterioris subsistere nequit *L. 26. S. 1. ff. de acquir. res. dom. §. 26. Inst. de R. D. Stryck Tr. de Caut. Contr. Sect. I. C. 4. §. 5.*

SCHOL.

Accessorius contractus aestimandus est ex natura principalis; Mev. P. VII. Dec. 363 n. 1.

COROLL. I.

Ius et obligatio sunt inter se relata et correlata hinc, quod valer de obligatione, id quoque debet valere de eorundem contractuum Iure, et *V. vid. Darjes in Inst. I. Nat. §. 151, et 152.*

COROLL. II.

Quaecunque ergo Iura et obligationes locatori competunt qua tali, ea ipsi etiam qua assecurato: et quaecunque Iura et obligationes conductori competunt qua tali, istusmodi ei quoque ut assecuranti competant necesse est, *Bohmer in diss. Sel. Cap. pract. Loc. Cond. Cap. IV. §. 7.*



§. 20.

Leges saepius positivae praeter contrabentes, etiam tertio obligationem imponunt perfectam ex eodem contractu L. Debitorem 1 § Cod. de pign.

SCHOL.

Paſſo quidem tertius directo non poteſt obligari, rei tamen lex dici poteſt, et per hanc fieri, ut qui habet ſuper iſta conventum, vel onus ei impoſitum, praeter ex rei conditione ſeu lege Mex. P. VIII. Dec. 191. n. 12. ibique LL. alleg.

§. 21.

Contractus aſſecurationis neque in Iure Canonico, neque Romano, neque Germanico, neque provinciali ſedem ſuam habet fixam vid. Illuſt. Balthaſar in alleg. diſſ. Cap. 1. §. 3.

SCHOL.

Miſcere ergo mihi videntur quadrata rotundis, qui eum ad certam ſpeciem vel contractuum realium, vel conſenſualium in Iure determinatorum referre allaborant. Iam autem illi tribuunt effectus mutui, jam pignoris, jam depoſiti, alii jam aliud illi aſſingunt nomen, ſeopo illorum ſaepe perverſo atque illicito conforme: indeque ſuae quaestionis deciſionem quaerunt inconcinnam. Mirum ſane eſt, quod non certam formulam praetoriam in LL. huic contractui praecriptam ſe inveniſſe ſomnient. Intuitu illorum me quidem iudice, haec contractuum ſpecies ſemper manebit monſtrum et pomum eridos, nec ullam unquam, ex praeconceptra opinione nullo modo correptus, ſed veritatis ſolius jucunditate potius adductus, perſpicere valeo rationem, cur vim huic inferre ſingulari contractus ſpeciei, omnes niſus tendamus. Barbata veterum Iuriſconſultorum eghors barbaras ſaepe negotio alieni Iuridico tribuere ſolebat denominationes, quis nobis ergo eripuit facultatem, negotio Iuridico noviter introducto, quod ſua natura a limine Iuris Romani plane deſectit, novum dare nomen, et effectus, ſuae naturae quam maxime conformes:

§. 22.

Origo ergo ipſius ex moribus hodiernis et conſuetudine introducto unice hauriendus.

COROLL.

COROLL.

Hinc in decidendis controversiis de eo motis et interpretandis dubiis recurrendum:

- 1) ad verba ipsius contractus, quibus stricte inhaerendum,
- 2) ad intentionem contrahentium,
- 3) ad analogiam Iuris, et doctrinam ff. et Cod. de pactis,
- 4) ad mores et consuetudines provinciales,
- 5) ad opiniones DD. rationabiles,
- 6) ad arbitrium Iudicis religiosi et prudentis, *vid. §§. 1. 2. 3. 4. Edicti Sereniss. Duc. Megap. Frider. Wilh. gl. mem. sub dato Sverini d. 26. May anno 1713. wornach die, zwi- schen den Grundherren und Pensionarien sich ereig- nende Streitigkeiten in den Fürstlichen Gerichten zu entscheiden.*

SCHOL.

Pauca hic loci moneamus pro scopi ratione de historia hujus contractus adjecti. Majores nostros tantam non impendisse curam in excolenda re agraria, quantam in arte venatoria industriam, tradit Tacitus in *libr. 1. cap. 5. d. mor. Germ.* atque posteriorum seculorum jam post natum Christum Germani, Martis magis castra sequebantur quam Cereris aratro, agriculturam in tantum licet exercebant, in quantum ad vitam degendam necesse habebant, *teste Jul. Caes. D. B. G. Leyser Jus Georg. Lib. 1. Cap. 1. et Bohmer. diss. sel. Cap. Praet. de loc. Cond. praed. rust. Cap. 1. §. 2.* Deinde constitutis et instauratis seculo decimo, Henrico Aucepe in Germania imperante, ubique urbibus et castellis, oriebantur distinctiones inter burgos et nobiles, colonos, rusticos et servos, quibus posterioribus cura agros colendi demandabatur. *vid. Heinecc. in elem. Iur. Germ. Tit. de rustic. et colonor. origine. Engav. in Iur. Germ. Lib. 1. Tit. IV. P. VI. Memb. 1. 2 et 3. et Tholosan. Synt. Iur. Lib. 18. c. 23. coll. lib. 4. de republ. c. 8. Mev. Tract. vom Zust. und Abforder. der Bauerleute.* Villioris ergo tunc temporis fuisse conditionis ejusmodi rem agrariam agentes satis apparet superque, donec tandem Friderici II. imperatoris germani constitutione sub initio seculi XIII. agri-



agricolarum conditio reddebatur securior atque benignior. Locatores vero et conductores praediorum rusticorum tot tantisque circumsepsisse suos tunc contractus locat. conduct. formulis et clausulis, haud aequae patet praesumptio, praecipue, cum apud eos plus valerent unica promissio et unica acceptatio stipulata manu firmata (ein Wort, ein Wort, ein Mann, ein Mann,) quam mille hodiernorum instrumentorum subscriptiones et sigillationes vid. Hertii *paroem. Iur. ad paroem. pr.* Ante bellum Germaniae perniciosissimum tricennale vix unicum invenimus vestigium, in illius temporis contract. Loc. cond. Ansam vero hanc illorum temporum miseriam dedisse locatoribus praediorum rusticorum, ut saluti suae praediorumque suorum securitati magis magisque prospicerent, vix ulla est ratio cur id non probabile vendiderimus? praecipue cum conductores saepius enervati et ad incitatas, belli aliorumque malorum duritie redacti, praediis tergum darent, et sic damnum locatori infligerent saepius irreparabile prouti ostendunt Sereniss. principum Megapolensium hunc in finem edicta annis 1660. 1677 et 1713. publici Iuris facta, et Mev. in Dec. illustr. in caus. propriet. et pensionar. controv. *Ex monumentis Sundensibus seculi superioris tricesimo quinto anno, in locatione praedii, monasterio cuidam proprii, pecuniam huius generis jam intervenisse monet ill. d. Balthasar in Cit. diss. §. III.* In terris Megapolensibus hunc contractum assecurationis tam apud locationem conductionem praediorum camerae aulicae, quam nobilium atque civitatum praecipue Rostochiensium jam abhinc centum et quinquaginta annos viguisse usum, affirmarunt mihi fautores ac amici aestimatissimi, rerum Oeconomicarum satis periti, licet modo allegata edicta nihil ejus faciant mentionem. Exstant adhuc in archivis et vetustis repertoriis per plures contractus loc. cond. quibus tunc temporis annexa fuit ejusmodi assecurationum clausula. Subministrat quoque Ill. Balthasar in cit. diss. §. XVIII. Responsum a Facultate Rostochiensis anno 1648 d. 18. Febr. datum, in quo haec verba obveniunt notabilia: *Auf die dritte und letzte Frage ist unsere rechtliche Meynung: daß der Müller a tempore combustionis*



bustionis molendini, und zwar a tempore morae von den gezählten *asscurations* Geldern Zinse und Interesse zu fordern befugt, jedoch aber solch interesse ex aequitate gestalten Sachen nach zu moderiren und zu mildern sey. Plura hic *asscurationis* contractus exempla, historiam ad illustrandam ipsius proferre supervacaneum fecisse puto. In ulteriori hujus materiae tractatione quam L. B. certo a me mox mox expectare poterit, plura in lucem edere authentica ipsius testimonia mihi erit curae cordique.

SECTIO II.

SPECIALIA, DE CONTRACTV ASSECVRATIONIS EIVSQUE
PECVNIAE IN CONCVRSV CREDITORVM IVRE
ATQVE FAVORE.

§. 23.

Tam locatori, qui in hoc contractu est *asscuratus* qua talis, quam conductori, qui vices *asscurantis* qua talis sustinet, certa adscribuntur jura, certaeque obligationes, (Cor, I, §. 16.)

§. 24.

Advertamus oculos ad §. 16. ejusque Corollaria; facile ex stabilita contractus *asscurationis* notione tam *asscurati* quam *asscurantis* jura valemus derivare, ope ipsius ergo locator ut *asscuratus* habet jus,

- 1) ab *asscurante* postulandi, ut sortem praestet in promissa quantitate et qualitate,
 - 2) ut sortem solvat debito loco ac tempore,
 - 3) ut usum ipsius sortis tempore contractus libere et absque ulla turbatione illi concedat,
 - 4) ut existente damno, culpa aut dolo ab *asscurante* illato, se ipso jure in tantum ex ea sorte faciat solum et indemnem, in quantum istud liquefactum
- 5) ut



5) ut denique eam sortem, si unius anni pensionem non superat, eaque a conductore prouti promissa, non exsoluta est, cum pensione compensare possit.

§. 25.

Obligatio ex Iure concipitur hinc in conductorem ut assicurantem ita cadit, ut obstrictus sit,

- 1) sortem in promissa quantitate et qualitate, et
- 2) debito loco ac tempore solvendi,
- 3) usum ipsius fortis absque turbatione concedere,
- 4) existente damno, culpa sua aut dolo a se illato atque a locatore liquefacto, absque contradictione permittere ut hic ex ea sorte ipso Iure se reddat indemnem,
- 5) nec minus, pensione promissa non vero pensitata prouti promissa, compensationi cum sorte praenu-merata susceptae se vitro subicere, absque ulla exceptionum interpositione.

SCHOL.

Splendida haec sunt Iura locatoris quae ipsius oculos necessario offuscant, statum autem conductoris satis jam miserandum debiliorem reddunt, abstineo illis, ne suspicionem immisericordis in me vertam, quae locatori qua tali in conductorem competunt jura. Sufficientia hujus materia ex instituto scriptores suppedi-
tabunt afflictum affligendi remedia. Evolvat Barbosam de locat. Brummer de loc. Cond. Caroc Tract. loc. Cond. Maull. de loc. Cond. Rivin. de hypoth. tac. loc. praed. urb. in illatis et rustic. in fruct. Iur. civ. comp. Bohmer diss. Sel. Cap. pract. circa loc. cond. praed. rustic. idemque in diss. de Iure primi fori locatoris in conductorem et praeter caeteros Hahn in diss. de conduct. expellendo ante finit. locat.

§. 26.

Sed quae sunt Iura conductoris ut assicurantis quae ei adversus locatorem ut assicuratum intuitu hujus fortis competunt? respiciamus iterum §. 16. ejusque Corollaria, indeque prono sequitur alveo, ut assicurans, gaudeat Iure ab assicurato postulandi:

1) ut

- 1) ut prius accurate determinet damnum et rite probet, quam ejus ex ista sorte exposcit reparationem, (*conf. §. 14 ejusque Coroll.*)
- 2) ut omnem fortis sibi solutae casum durante contractu suscipiat, (*Coroll. IV. §. 16.*)
- 3) ut sortem, rescisso contractu aut eo absoluto, si isti plene satisfecerit, integram in genere restituat, aut, quod idem est, cum pensione ultimi anni, prouti conventum, compenset et ab ea detrahat,
- 4) Vt usuras morae et omne, quod interest, in casum tunc retardatae solutionis praestet *Conf. L. 17. §. fin. ff. de VI. et fruct.*
- 5) Vt ei in possessione praedii, qua iure nunc retentionis utitur, tamdiu non turbet, donec ipsi solutione fortis integra sit satisfactum. *Conf. L. 12 et 18. ff. de Vi et V. A. Leyser. Spec. 175. Mev. 5. Mev. P. D. 214. id. in Dec. Illustr. in causis pens. et propr. C. V. §. n. 78. add. de Balthasar. diss. cit. Cap. I. §. 19. et Lauterbach. diss. de Iure retent.*
- 6) Vt de hac sorte excutienda, si jure retentionis nec uti vult nec potest, experiri possit contra locatorem processu extraordinario et summario (*coll. §. 19 ejusque Coroll. II. et vid. Mecklenb. L. u. 3. G. Ord. P. 2. Tit. IV. §. 5.*)

§. 27.

Quoniam a iure ad eius correlatum concludere liceat, (*Cor. 1. §. 19.*) consequens est ut assicuratus hoc ex contractu obligatus sit,

- 1) omnem fortis sibi solutae casum durante contractu et statim post fortis illius actualem traditionem ferre (*Coroll. III et IV. §. 16*)
- 2) Antequam satis sufficienterque probaverit damnum vere illatum, compensandi nullum sibi Ius arrogare,
- 3) eatenus sortem finito contractu restituere quatenus jam indemnis aliunde factus,

C

4)



- 4) omni cessante damni reparatione sortem in rotum reddere,
- 5) Conductorem assurentem in possessione praedii sui propter moram in sorte retradenda commissam, non turbare antequam illi non satisfactum. Sic in exemplaribus contractuum Loc. Cond. Camerae Megapolensis Serenissim. Ducum Fried. Wilh. et Christ. Ludov. gl. mem. typis excusis eas deprehendimus clausulas. Ueberdem praenumeriret er (Conductos) sofort beyhm Antritt, jedoch ohne Zinsen, loco cautionis die verabredete Summe, welche ihm hiernächst bey seinem Abtritt, wenn er diesem seinen Contract ein Genügen geleistet, und nach dem Inventario alles richtig geliefert hat, von seinem Successore völlig und baar in in einer Summe wieder vergnügt werden soll. Und ist er, bevor ihm solche Erstattung geschehen, diesen unsern Meyerhof, und die ihm verpachteten Stücke zu räumen, nicht gehalten,
- 6) Intuitu tertii, cui forsitan Creditor esset obligarus nullum retentionis Ius proprio sibi Iure assignare, et denique,
- 7) Vfuras more in casu retardatae solutionis, et omne id quod interest, assurenti praestare.

SCHOL.

His Iuribus, hisque obligationibus assurentis et assurentis inter se mutuo utuntur fruuntur, ex natura et essentia ejusdem contractus ultro deductis. Nunc ad cardinem rei! dispiciamus quaeque qui effectus ex eo in tertium redundant,

§. 28.

Praeter contrahentes leges saepius positivae disponunt, ut tertius quoque eodem ex contractu perfecte obligetur, et unus contrahentium vi contractus poscere queat, ut tertius eidem satisfaciat. (p. S. 20. ejusque Schol. conf. Struv. exc. XX. §. 5. L. 1. §. 1. §. 20. 23. ff. de exerc. Act. pr. Inst. quod, cum eo qui in al. pot.

§. 29;



§. 29.

Hic tertius in quem cadit ex contractu obligatio, est persona quae vel locatoris excipit iura et obligationes; vel est persona quae conductoris personam juridice sumtam repraesentat, in utroque casu istae sunt, vel personae in individuo consideratae, vel personae fictione legis tales s. quorum unius iura et obligationes sunt etiam iura alterius, *vid. Ill. Nettelbl. c. 1. Tom. 2. Tit. XII. §. 142. 144. 146 et 148. et Heinecc. in Elem. Iur. Civ. §. 75.*

§. 30.

Ponamus personam fictione legis talem, quae repraesentat personam conductoris assicurantis; tunc ei omnes premunt obligationes quas §§. 24. et 25. intuitu hujus contractus exposui, adeoque singulis utitur iuribus in locatorem. §. 26. et 27. substractis. (§. 20. 28 et 29.)

§. 31.

Quodsi autem eandem personam fictione legis talem locatoris vicem subire statuamus ei omnes obligationes omniaque iura §§. 24. 25. 26 et 27. adscribi necesse est. (§. 12. 18. 19 et cit. cit.)

§. 32.

Supponamus, (id quod toto jam die accidit) aliquem eo miseriae redactum esse; ut bonis cedere, ob cumulum aeris alieni sibi contractum, et creditoribus suis in solutum dare oporteat, atque hi coram illius iudice competente simul credita sua rite profitentur, tunc ille actus audit *concursum creditorum* *vid. Leyser Med. ad ff. Spec. 478. Med. 3. salva tamen ipsius definitionis censura, et Brunnem. Tr. de conc. cred. Cap. I. §. 1. Bona autem quae creditoribus in solutum dantur, sub nomine massae concursus veniunt, et debitor bona sua in solutum dans audit Cridarius.*

§. 33.

Cessione bonorum eorumque in solutum datione a Cridario coram iudice competente rite facta, creditores iura et obligationes intuitu illorum bonorum in se suscipiunt adeoque personam ejus repraesentant (p.



29. 30. 31.) *vid. Leyser med. ad ff. Spec. 494. Med. 13. verb. Creditores succedunt plene in locum et lura locatoris.*

§. 34.

Fingamus massam concursus esse praedium rusticum, quod vero ante concursum, cum debitor rerum suarum plenam adhuc habuit dispositionem, absque ulla fraudis macula alicui concessit sub contractu locationis conductionis, eique contractum adjecit assecurationis, tunc illi utrique contractus perfectam inducunt obligationem (p. §. 12. 18 et 19) *Mev. V. Dec. 345. ante concursum inquit, a debitore gesta, rata sunt, nisi in fraudem creditorum facta. Conf. supr. Schol. II. §. 12. add. Leyser. Spec. 494 Med. 8. 9. 11.*

COROLL. I.

Locationem conductionem moto jamjam concursu initam alias licet perfectam, penitus esse invalidam, quis est qui negat?

COROLL. II.

Eamque ante motum licet concursum contractam, si fraudem cujusvis aut creditoris sapiat, subsistere non posse, satis jam in Schol. II. §. 12. exposuisse credo.

§. 35.

Irruant nunc concursus tonitrua! prorumpant creditores ex omni terrae involucro, horridis irati Iovis ictibus fulguribusve minitantes, attonitosne prosterunt? neterreati! exclamat vox rationis legisque, facti adhuc rectique estis, sub harum umbra alarum datur securitas. Loquantur primo sanae rationis principia, sic argumentando:

Quicumque est persona fictione legis talis; ille omnibus ejus satis facere obligationibus incumbit, cujus personam repraesentat.
(p. §. 29 et 30.)

Atqui creditores in concursu conjunctim sumti sunt persona fictione legis tales, (p. §. 33.)

Ergo Creditoribus incumbit, ut omnibus ejus satisfaciant obligationibus cuius personam representant.

§. 36.

Porro ita concludo:

Cui us

Cuius personam aliquis repraesentat, eius obligationes in se suscepit adimplendas (p. § 31.)

Atqui creditores repraesentant personam Cridarii (p. §. 30. 33 et 35)
Ergo creditores omnes Cridarii obligationes in se susceperunt adimplendas.

§. 37.

Quicumque omnes Cridarii obligationes in se suscepit adimplendas, illum omnes stringunt obligationes, quae illi ex contractu debentur. (p. §. Praec. et princ. Log.)

Atqui creditores omnes Cridarii obligationes in se susceperunt. (p. §. 31. 33. 34 et 36.)

E. Creditores omnes stringunt obligationes quae Cridario ex contractu debentur.

§. 38.

Quicumque omnes stringunt obligationes, quae Cridario ex contractu debentur, eum omnes quoque stringunt obligationes, quae Cridario ex contractu Locationis conductionis eiusque contractu adiecto nempe affecuratonis debentur. (p. §. 19. et 34. cor. et §.)

Atqui creditorem omnes stringunt obligationes quae Cridario ex contractu debentur (§. 37. ei. dem.)

Ergo creditorem omnes quoque stringunt obligationes, quae Cridario ex contractu Locat. cond. eiusque contractu adiecto affecuratonis debentur.

§. 39.

Quicumque omnes stringunt obligationes, quae Cridario ex contractu locationis conductionis eiusque contractu adiecto affecuratonis debentur, ille quoque perfecte obstrictus est, ut sortem affecuratonis, (Den Vorschuss) integram, primario et ante omnes, conductori ut affecuranti, finito contractus termino exsolvat p. §§. 27. eiusque post it. §§. 31 et 35.)

Atqui creditores omnes stringunt obligationes, quae Cridario ex contractu locat. cond. eiusque contractu adiecto affecuratonis debentur. (p. §. 38.)

Ei. creditores quoque perfecte sunt obstricti, ut sortem affecuratonis integram conductori affecuranti, finito contractus termino, exsolvant primario, Q. E. D.

C 3

C O R,



COROLL. I.

Subsumamus et applicemus nunc omnia, §§. 26 et 27. stabilita principia eodem modo quo §§. praec. factum, facillime concludere licet.

COROLL. II.

Proinde etiam Iura §§. 24 et 25, deducta creditoribus competere necesse est.

COROLL. III.

Indeque Iurium et obligationum limitationes intuitu contr. Asses. luce meridiana clarius apparebunt.

§. 40.

Sed morsus jam tentare, strenuos Baldi Bartolique aemulatores atque Zeloras video, cum me in Iure philosophantem deprehendunt. Ne ergo omnem eorum bilem moveam, et iracundiam in me vertam haud indelebilem; Infatiabilis istorum romanizandi aviditatis satagere studebo:

Ex supra §. 20 et 28. adductis patet, leges saepius positivas praeter contrahentes, tertio etiam obligationem injungere perfectam, ut eidem contractui satisfaciat. Creditores in concursu conjunctim sumti sunt ille tertius (p. 29. 30 et 33.) adeoque ex Contractu Loc. Cond. perfecte obligantur, *per legem expressam* 8. ff. §. 1. *de rebus auctoritate judicis possidendis*. Verbis: *Si quis fructus ex praedio debitor capi poterit; hunc creditor, qui in possessionem praedii missus est, vendere vel locare debet*, SED HOC ITA DEMVM, SI, ANTE NEQVE VENIERIT NEQVE LOCATVS ERIT, NAM SI IAM A DEBITORE VEL LOCATVS ERAT VEL VENIERAT; SERVABIT PRAETOR VENDITIONEM ET LOCATIONEM A DEBITORE FACTAM, ETSI MINORIS DISTRACTVM EST, VEL LOCATVM, nisi in fraudem creditorum hoc fiat, tunc enim praetor arbitrium dat creditoribus, ut ex integro locationem vel venditionem faciant.

Audiamus quoque Doctores! *Celeb. ICtus Merivius Part. VII. Dec. XL. nor. 2. ; Concursus creditorum, inquit et sub eo discussionis*

euffionis instantia litis pendentia instar habet, sub qua uti quisque ab initio possedit ita in posterum possidet, nec iste tollit possessionem, nec etiam admittit innovationem L. 1. C. ut lit. pend. et n. 4. inter partes semper potior causae est possidentis. Praesertim ubi ad litem devenitur, in possessione relinquitur qui in ea reperitur. Habn in dissert. de Cond. expellendo §. 79. verbis Creditores in fundum immissi successores sunt necessarii et locationi a debitore ante immissionem factae stare tenentur. Add. Franzk. Com. ad ff. lib. XIX. Tit. II. n. 243. et 244. item Berlich. part. 2. Concl. pract. 45. n. 20. seqq.

§. 41.

Sed quid in Jure de Contractu asecurationis eiusque forte existente concursu, deprehendimus dispositum? nihil quidem expressis verbis sed quod implicite et ex analogia Iuris seu argumento legis rite derivatur, utique eandem vim atque efficaciam habere omnes DD. statuunt in unum.

Regeramus nunc principia §. §. 18. 19. ej. Cor. II. §§. 30. 31. 33. suppeditata et per leges expressas satis jam firmata, conferamus ea cum lege §. praec. allegata, quis ex iis legitimam in dubium potest consequentiam vocare? Ut uno quasi oculo propositionis meae consequentiam quisque perspiciat; ordine syllogistico eam sequenti modo sum expositurus.

Quicumque perfecte et per LL. expressam dispositionem obligatus est ut contractum locationis conductionis per se talem ante concursum a conductore cum debitore initum, adimpleat, ille quoque per easdem LL. perfectam habet obligationem ut contractui asecurationis illi adiecto satisfaciatur per §§. 18. 19. eiusque Cor. II. 30. 31. et 33. ac demonstr. §. 36 - 39.

Atqui omnes in concursu conjunctim creditores perfecte atque expressa legis §. 1. ff. de reb. aut. jud. poss. dispositione obligantur, ut contractum locationis conductionis per se talem, ante concursum a conductore cum debitore initum nunc creditorio adimpleant.

Ej. Omnes in concursu conjunctim creditores per eandem legis dispositionem perfectam habent obligationem ut contractui asecurationis ei adiecto satisfaciatur.

COR.



COROLL. I.

Hinc ut creditores ex communi concursus massa Conductori, finito contractus termino, ante omnia sortem, asecurationis ex contractu locationis conductionis debitam, in genere integram exsolvant, eiusque sortis ergo, nemini conductori, concursui se immiscere opus sit, et singulis creditoribus etiam jure domini utentibus praeferatur adeoque propterea in jure possessionis tam diu se tueri possit, donec ei sati factum, nemo, nisi qui temere litigandi nimium velit prodere pruricum, dubio subicere tentabit. *Conf. §§. 26. et 27. eorumque possit. alleg. et dem. praec. §§. 35 - 40. Coll. Mev. in Tract. von wucherlicher Contracten, P. II. Cap. 13. §. 9. verbis: Es begiebt sich auch, daß in den Gütern der Schuldner, wann die Immission geschehen, die Verwalter aus den Gütern einige Forderungen wegen ihres Vorschusses praetendiren, daher den Creditoren zu weichen, und die Abnütungen in den Händen zu stellen sich verweidern: So viel ihren Vorschuss in die Güter betrifft oder so sie sonst fordern, welches für allen andern Creditores den Vorzug hat, haben sie sich bey den Gütern und deren Abnützung wohl zu erhalten, bis sie bezahlet worden; et id. paullo ante in eod. §. Creditores immisi succedunt in Jus debitoris, ideoque renentur etiam stare pactis conventis circa rem ideoque nequeunt expellere conductorem et Petr. Moller. Lib. 4. semestr. cap. 14. num. 10. ubi de praxi testatur. ejusd. Dec. P. VII. Dec. 40. n. 3. 4. P. III. Dec. 34. P. II. Dec. 210. Atque conductor retentionis lute fruitur, donec extremo nummo, qui ipsi restat, potitur Tiraquell. de retract. convent. §. 4. gloss. 6. n. 23.*

COROLL. II.

Hinc hoc Jus conductoris, intuitu praeferentiae singularis, pecuniae asecurationis ei non competit ex speciali legis provisione sed ex pacto s. contractu Loc. Cond. eique adj. asecurationis, *coll. §§. 30, 31. 33 et 40.*

SCHOL. I.



SCHOL. I.

Hanc meam ita decidendi rationem etiam in patria usu receptam, restantur contractus impressi Serenissim. Duc. Megap. Conductoribus praediorum Camerae dati et jam juxta §. 27. poss. allegati. Licet in foris nostris adhuc passim fluctuare videantur sententiae.

SCHOL. II.

Vt morosorum quoque Iureconsultorum, qui omnia ad mensuram legum etiam obsoletissimarum dimentienda volunt, mihi conciliem ad sensum, distinctionem contractuum inter stricti Iuris et bonae fidei in aream paullum vocabo. Constat inter omnes, contractum locationis cond. esse contr. bonae fidei, id est talem, qui pro aequitate obligationem ex contractu ad ea extendit de quibus non expresse conventum, §. un. *Inst. de obl. quae ex conf. l. 2 et 17. Cod. loc. Cond. Davies in Inst. Iur. priv. §. 224.* Nonne etiam ex hoc conceptu satis apparet meae decisionis rationem etiam summo Romani Iuris rigori esse convenientissimam? Cur huic contractui assecurationis tanquam accessorio omnes intuitu tertii denegamus effectus, cum ejus principali nihil ejus derogare valeamus? Fortassis, quia a legibus nomine nec expresso nec determinato est vestitus? *Respondeo cum Horat. Lib. 1. Epist. XIX. lin. 19. seqq.*



D

CON-

CONSULTISSIME ATQVE DOCTISSIME
DOMINE
DOCTORANDE,
FAVOR ATQVE AMICE
MELLITISSIME,

Verum esse vulgatum illud: ubi desinit philosophus, ibi incipit Ictus: satis probatum dedit elegans TVA praesens inauguralis dissertatio, quae brevis licet, satis sufficienter tamen quoad thema propositum exasciata, optimum specimen de verae, non fucatae, philosophiae in iurisprudencia maximo usu porrigit. Licet enim non de legibus philosophandum maneat ICTO, qui duram quoque eam, tamen sequi debet. L. 12. §. 1. in f. qui et a quib. manum. ex legibus tamen utique nihilominus philosophandi gaudet non potestate solum, sed et officio, qui Themidis sacra rite colere vult legitimae scientiae deditus. L. 1. §. 1. D. de inst. et iur. Materiam TIBI elegisti, AMICE CONIUNCTISSIME, in foro maxime controversam, atque mox his, mox aliis argumentis, pro et contra defensam, quaeque mox scyllam, mox charybdin TIBI opponit, hoc mare pernaviganti. Sed (liceat mihi in simili semel electo pergere) in primo hocce TVO navali itinere ex meo quali quali iudicio, salva ubique navi in portum venisti. Reductio materiae ad prima sua vera principia, optimum TIBI aperuit campum, obmota aliorum varia in consonantiam cum legibus aequam ac iustam redigendi, et ultiores TIBI adhuc suppeditabit vias in promisso TVO,
in

Hanc mentem in decessu eius in parte sua recepit
etiam in corpore subest. Deo. Magis. Condu
citur. In decessu eius in parte sua recepit
etiam in corpore subest. Deo. Magis. Condu
citur.

SCHOL. II.

VI. notandum est quod in decessu eius in parte sua recepit
etiam in corpore subest. Deo. Magis. Condu
citur. In decessu eius in parte sua recepit
etiam in corpore subest. Deo. Magis. Condu
citur.



CONSVLTISSIME ATQVE DOCTISIME
DOMINE
DOCTORANDE,
FAVOR ATQVE AMICE
MELLITISSIME,

Verum esse vulgatum illud: ubi desinit philosophus, ibi incipit ICtus: satis probatum dedit elegans TVA praefens inauguralis dissertatio, quae brevis licet, satis sufficienter tamen quoad thema propositum exasciata, optimum specimen de verae, non fucatae, philosophiae in iurisprudencia maximo usu porrigit. Licet enim non de legibus philosophandum maneat ICTo, qui duram quoque eam, tamen sequi debet, L. 12. §. 1. in f. qui et a quib. manum. ex legibus tamen utique nihilominus philosophandi gaudet non potestate solum, sed et officio, qui Themidis sacra rite colere vult legitimae scientiae deditus. L. 1. §. 1. D. de inst. et iur. Materiam TIBI elegisti, AMICE CONIUNCTISSIME, in foro maxime controversam, atque mox his, mox aliis argumentis, pro et contra defensionem, quaeque mox scylalam, mox charybden TIBI opponit, hoc mare pernaviganti. Sed (liceat mihi in simili semel electo pergere) in primo hocce TVO navali itinere ex meo quali quali iudicio, salva ubique navi in portum venisti. Reductio materiae ad prima sua vera principia, optimum TIBI aperuit campum, obmota aliorum varia in consonantiam cum legibus aequam ac iustam redigendi, et ultiores TIBI adhuc suppeditabit vias in promisso TVO,
in

in praefamine dissertationis dato, plus ultra progrediendi,
hancce doctrinam peruestigando. Gratulor praestitos
labores, gratulor specimen inaugurale dignum, quod
sequantur summi in iure honores. Ex consensu nostrae
facultatis, superato iam examine publico, licentiam eos
ambiendi TIBI concessam esse, publice annuntio. Quia
tamen sponte iam abstinere velis adhuc ab actuali colla-
tione, ulteriorem gratulationem de hisce quoque susce-
ptis ad futura mea officia TIBI AMICE INTER PAV-
COS CARE debita reservo. Faxit Deus, ut omnia sus-
cepta et suscipienda, TIBI cedant feliciter. Si unquam
aliquem, me certo semper habebis, qui ex omni TVAE
felicитatis genere ingentem capit animi voluptatem, qui-
que CVM MAXIME REFERENDO TVO PATRE, et SEM-
PER HONORANDO AVUNCULO TVO quibus utris-
que de TE OPTIME MERITO filio, ac nepote ex foro-
rus est in gaudio ex prosperis TVIS fati percipiendo.
Noscis AMICE SYAVISSIME animum meum, qui nil
nisi Germano pectore dicere solet, noscīs amicitiam ha-
ctenus inter nos sancte cultam, quae testimonium infu-
catae veritatis meis dictis dabit. Pergas quaeso eo fa-
voris gradu quo hactenus me amplexus es, et certus sis
peto semper

TIBI

ROSTOCHII,

D. 22. NOV. 1757.

AD QVAEVIS OFFICIORVM GENERA
PARATVM ESSE PRAESIDEM
HERM. BECKER,

Rostock, Diss., 1755-58


X.2284307

ULB Halle

3

005 047 935







DISSERTATIO INAUGVRALIS, *Pri. 18. num. 28.*
DE
I N D O L E
CONTRACTVS, LOCATIONI
CONDVCTIONI ADIECTI ASSECVRATIONIS;

VVLGO SIC DICTI:
(Vom Vorschuß der Pächter,)
EIVSQUE PECVNIAE IN, CONCVRSV CREDITORVM
IVRE ATQVE FAVORE

QVAM,
SVMMO VNIVERSI HVIVS MODERATORE
BENIGNE ADIVVANTE,
AC
MAGNIFICO IVRECONSVLTORVM ORDINE,
IN ILLVSTRI AD VARNVM ACADEMIA CONSENTIENTE,
SVB PRAESIDIO,
VIRI CONSVLTISSIMI,

D N. HERMANNI *Becker,*
I. V. DOCTORIS AC PROFESSORIS INST. P. O. CELEBERRIMI,
STVDIORVM SVORVM PROMOTORIS, FAVTORIS ATQVE
BENEFACTORIS IN AETERNVM COLENDI,
PRO GRADV,
TITVLIS ATQVE IVRIBVS IVRECONSVLTI
RITE CAPESSENDIS,
DIE XXIV NOVEMBRIS, ANNO MDCCLVII,
H. L. Q. C.
PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT,
A V C T O R

CHRISTIANVS LVDOVICVS IOANNES BEHM,
NEOSTADIO - MEGAPOLITANVS,
I. V. C.

ROSTOCHII,
LITTERIS ADLERIANIS

